

campum pervenitur, pars meridionalis nemoris praedicti, quae est versus allodium antedictum, est regularium de sancta Afra, pars vero septemtrionalis tota est sororum in Suseliz ordinis sanctae Clarae et ad ipsas pertinet cum omni iure. Ne autem aliqua dubietas vel controversia de praemissis valeat suboriri, praesentem litteram in omnium horum testimonium et certitudinem pleniorum dedimus sororibus sigillo nostri praepositi et nostri conventus munimine roboratam. Ad haec obligamus nos per praesentes, ut quando a nobis petitum fuerit a sororibus antedictis seu eorum procuratoribus, factam distinctionem secundum seriem iam praemissam sigillo domini episcopi Missenensis et littera procurare roborari, cum tamen affuerit tempus oportunitatis. Facta est autem haec distinctio anno domini M. CC. XCIX. in die sanctae Luciae, praesente domino Alexandro plebano in Suseliz et domino Jo. dicto Bolian plebano in Koschebrode, domino Conrado praeposito sanctae Affrae et fratre Borchardo de Salza et aliis fide dignis. Signorum autem positio quae limitem demonstrant, facta est anno eiusdem domini M. CCC. XIII. kal. Maii praesentibus antenominatis et praesente fratre Th. de Busilleiben et domino Her. de Sgilowe, domino Conrado plebano in Colne et fratre Henrico de Sgildowe et fratre Gunthero et aliis fide dignis, videlicet Paulo et Petro colono in Rasgwiz. Datum anno et die praenotatis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den Siegeln des Probsts und Convents an Pergamentstreifen.

No. 187. 1300. 8. Juni.

*Markgraf Friedrich I. cignet dem Afrastifte Geldzinsen von sieben Hufen Landes in Böhla bei Grossenhain.*

In nomine domini amen. Cum fluxus temporum rerum deducat actiones et memoria hominum ex multiplicata gestorum sicut consuevit confluentia hebetetur, expedit ea quae aguntur scripturae notulis perhennari, ut sint indicium cognoscendi praesentibus et futuris. Notum sit igitur tam praesentis quam futurae aetatis hominibus omnibus in perpetuum, quod nos Fridericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio ob reverentiam dei omnipotentis et genitricis suae Mariae beataeque Afrae et ut diem messisionis extremae opere suffulti misericordiae possimus cum providentia et bonis operibus praevenire, supernum quoque iudicem nobis invenire propitium et placatum, septem mansos in villa et apud villam Boile sitos et in districtu nostro Hayn solventes in solutione annuae pensionis et census tria talenta et quatuor solidos, quos mansos Johannes sacerdos dictus Bule Jan a nobis tenuerat et ad manus nostras libere resignavit, donavimus ecclesiae sanctae Afrae in Misna et canonicis ibidem regularibus ordinis sancti Augustini, ut cultus ibi divinus uberius augeatur, et appropriavimus cum pleno iure utilitate potestate dominio et libertate cum omnibus suis attinentiis ac servitiis quocumque nomine censeantur proprietatis titulo perpetuo possidendos, nolentes praefatam ecclesiam et canonicos memoratos in donatione praelibatae donationis et proprietatis ab aliquo quomodolibet impediri. Et ut haec donatio cum effectu maneat et vigeat perpetuo, hanc nostram litteram dari mandavi-